

am, essent verè duæ, & tamen non essent in subiecto. Nec dicas indiuiduari, & distingui formaliter in ordine ad subiectum, nam potest fieri, vt respiciant eundem parietem, ergo per aliud distinguantur, quàm per subiectum, aut quàm per ordinem ad subiectum.

Num. 10.  
Obiicitur  
soluuntur.

Obijcit Soncinus *sepmo Metaphys. quest. 4.* mouens aliquod mobile ad aliquam formam debet ipsum inuenire in contraria dispositione formæ introducendæ; sed si inueniat ipsum habere formam eiusdem speciei cum forma introducenda, non inueniet ipsum in dispositione contraria.

Resp.

Respondeo maiorem esse veram viâ ordinariâ; at supernaturaliter non repugnat, nunquid enim, postquam calor productus est à sole in aliqua parte aëris, Deus illum calorem conseruare potest, & impedire, ne alius calor ipsi identificetur numericè? Quòd si postea eadem parti aëris approximetur ignis, eamque calefaciat, nulla omnino apparet repugnantia, quin de nouo in eadem parte aëris alius numero calor producat, & sic erunt duo calores solo numero distincti in eadem parte aëris.

Obij. secundò

Obijciunt deinde: Si possint duo accidentia solo numero diuersa esse in eodem subiecto, ergo infinita, sed hoc non, ergo neque prius.

Resp.

Respondeo ad maiorem posse diuinitus esse infinita, si infinitum actu sit dabile, cum verò non sit dabile, neque infinita poterunt esse in eodem subiecto, non ex defectu subiecti, sed ex defectu infiniti actu. Alia argumenta Soncin. intendunt tantum probare viâ naturali id fieri non posse.

Obijcti Petri  
Niger.

Obijcit verò Petrus Niger, quòd vnum subiectum diceretur multa alba. Respondeo non repugnare: aut dic non multiplicari composita accidentalia, nisi etiam multiplicentur subiecta, sicut licet Rex habeat plura regna, non tamen dicitur multi Reges, sed Rex multorum regnorum, ita in præsentia diceretur vnum subiectum habens multas albedines.

Supereft ad Complementum huius partitionis videre, an sicut supernaturaliter duo accidentia solo numero diuersa possunt esse in eodem subiecto adæquato, ita etiam duo accidentia specie tantum diuersa, vt puta duæ contrariæ qualitates albo, & nigredo, aut frigus, & calor possint esse in eodem subiecto?

Triplex est opinio: *Prima* Ariminensis, Ochami, Adam. & Aureoli, teste Petro Nigro *secundâ parte Clypei quest. 57.* asserentium neque in gradu excellenti, neque in remisso posse esse in eodem subiecto. *Secunda* est ipsius Petri Nigri dicentis posse esse quidem in eodem subiecto in gradu remisso, non tamen in excellenti, *Tertia* est innominatorum quorundam apud Palud. in *3. distinct. 15. quest. 2.* admittentium etiam posse esse in gradu excellenti in eodem subiecto, & cum his posterioribus sit

Num. 11.  
Determinat  
Author  
probabilis esse  
posse diuini-

*Resolutio tertia:* Probabilissimum est duas contrarias qualitates posse diuinitus esse in eodem subiecto in gradibus intensis.

Probatur *primò:* Si quid impediret, aut esset impossibilitas ex parte subiecti, aut ex parte formarum: non *primum*, quia subiectum habet potentiam ad vtrumque habendum, saltem succelluè v. g. lignum ad esse calidum, & frigidum, ergo quia potest Deus v. g. dum calor aduenit, impedire, ne frigus discedat, sic vtraque forma remanebit in eodem subiecto: non repugnat quoque ex parte formarum, quia hoc proueniret ex earum actiuitate, sed eam Deus potest impedire quoad effectum, ergo non est impossibilitas ex parte formarum, igitur nullo modo repugnabit.

Secundò.

*Secundò:* Quæ non repugnant in parte respectu partis, neque repugnant in toto respectu totius, sed non repugnat partem v. g. albedinis in eodem esse subiecto cum parte nigredinis, etiam naturaliter, ergo non repugnabit supernaturaliter vnam totam albedinem esse cum vna tota nigredine. Maior probatur: sicut se habet pars ad partem, ita totum ad totum, sed pars non est incompossibilis cum parte, ergo nec totum cum toto, & sicut actiuitas totius agit in actiuitate totius, ita actiuitas partis in actiuitate partis; sed actiuitas partis non causat incompossibilitatem cum parte, ergo nec actiuitas totius causabit incompossibilitatem cum toto. Minor verò non potest negari; quia quando agens agit in subiectum habens formam contrariam, non subito introducit formam, sed partem post partem, proindeque pars formæ contrariæ remanet cum parte formæ, quæ introducit, ergo in eodem subiecto est pars formæ expellendæ, & pars formæ introducendæ: Ex hac ratione sequitur saltem naturaliter duo contraria posse esse in eodem subiecto secundum partes, id est in gradu remisso, ergo supernaturaliter poterunt esse in gradu intenso, plus enim potest Deus quoad totum, quàm natura quoad partem.

Tertiò.

*Tertiò:* Non magis repugnat duas formas accidentales contrarias esse in eodem subiecto, quàm duos motus contrarios in eodem mobili; sed duo motus contrarij etiam naturaliter possunt esse in eodem subiecto, ergo saltem supernaturaliter duæ formæ accidentales contrariæ poterunt esse in eodem. Maior patet; nam si sit disparitas, non alia esse potest, nisi quia illæ formæ sunt actiue, & motus non: sed illa actiuitas potest facile suspendi à Deo, sicut & actiuitas ignis suspensa est in fornace Babylonica: minor quoque manifesta est in eo, qui deambulat in nauì deambulatione contrariâ motui ipsius nauis: idem etiam patet in formica, quæ & mouetur motu rotæ, & motu proprio motui rotæ contrario.

Quartiò.

*Quartiò:* Illa possunt diuinitus stare simul in eodem subiecto, inter quæ non est repugnantia formalis, sed inter contraria non est repugnantia formalis, est enim tantum virtualis etiam ex mente Diui Thomæ; si enim esset repugnantia formalis, nequidem vnus gradus caloris posset stare cum sex gradibus frigoris, videmus autem contrarium, ergo non repugnat formaliter contraria esse simul.

Quintò:

